


Conrad Schuckmann Heinrich Ortgiese

## **Dissertatio Academica De Contractu Emptionis Venditionis**

Rostochiis: Waltherus, 1653

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn732601622>

Druck Freier  Zugang



Vertrag über  
Kauf und Verkauf

C. Schuckmann (H. Ortjose) <sup>Verf.</sup> / C

R. U. in 1653.



DISSERTATIO ACADEMICA  
DE  
CONTRACTU EMPTIONIS  
VENDITIONIS

Quam

Consensu Nobilissimæ & Amplissimæ Facul-  
tatis Juridicæ, in almâ Academia  
Rostochiensi,

PRÆSIDE

*Viro Amplissimo & Consultissimo*

DN. CUNRADO SCHUBER-  
MAN / J. U. D.

Præceptore ac Fautore suo ætatem observando.


*Ad diem 26. Novembr. in Auditorio magno, publico Erudi-  
torum examini subicit.*

HENRICUS ORTGISE, Bilfeldiâ Westph.  
AUTHOR & RESPONDENS.


R O S T O C H I I,

Typis Danielis Waltheri, Anno M. DC. LIII.

Universitäts-  
Bibliothek  
Rostock



I. N. D. N. J. C.



ctus Ulpianus in *l. i. ff. de in In-  
tegr. rest.* inquit, utilitatem ejus  
tituli non egere commendatione,  
cum seipsum satis ostendat. Idem  
illud de nobilissima exercitioq;  
quotidiano frequentissima emtio-  
nis & venditionis materia (quæ  
cæteris gemmæ instar præfulgere  
dicitur) asserere nulli dubitamus,  
quippe nulla sub sole Natio sine  
hac rerum commutatione suis sufficientibus vivere possit, &  
hoc contractu, attestante *Vvesemb. in parat. n. i. h. t.* nihil sit æ-  
quabilis, ut non immerito olim cum Romani tanquam ju-  
sissimum, omnibus ferè solemnibus, familiarum mutationi-  
bus, translationibus, alienationibus, ut adoptionibus, emanci-  
pationibus, testamentis adhibere sint soliti, de qua re *vid. Cont.  
lib. i. Disp. c. 16.* ideoque etiam nos hujus eximie materiæ enoda-  
tionem subsequentibus Thesibus, invocato altissimo Numi-  
ne, stylo Academico proposituri sumus.

### THESIS I.

His ita præmissis, antequam ipsam definitionem aggredia-  
mur, ordinis ratio efflagitat emtionis & venditionis originem  
prælibare: ea verò à rerum permutatione cæpit *l. i. ff. de Contr.*

B

Emt.

*Emt.* distinctis enim Jure Gentium dominiis. *l. 5. ff. de Just. & Jur.* effectum est, ut quisq; , cum suæ rei moderator & arbiter esset, *l. 21. C. mandat.* propter summam rerum indigentiam, usq; & æqualitate nummi nondum inventis, sua cum alienis, & aliena cum suis, etiam utilia cum inutilibus permutare fuerit adactus *VVesemb. n. 3. in parat. h. t.* & hinc ab initio quidem à rerum permutatione haud distincta fuit emtio & venditio, in tantum, ut antiquitus vulgò dici consueverit, rerum permutatione emtionem & venditionem contrahi *§. 2. Inst. de emt. & vend.* quod ipsum quoque præter exemplum Græcorum ex Homero adductum *Id. §. 2. & l. 1. §. 1. ff. de Contr. Emt.* etiam Sacræ literæ exemplo Esavi primogenituram suam pane & lentis edulio vendentis comprobant *Gen. 25. vers. 21. & seqq.*

II.

Cum autem exinde maxima difficultas oriretur, nec enim semper aut facile concurrebat, ut cum alter quidem haberet, quod alter desideraret, hic quoq; quod ille accipere vellet statim haberet, nec insuper in ejusmodi rerum permutatione discerni poterat, uter emtor & uter venditor esset, ut eleganter docet *Paulus in l. 1. ff. de Contr. Emt.* necessum fuit aliquod inveniri medium, quod visæ rerum esset, & quædam quasi mensura ac ponderatio, quæ pro rerum varietate possit augeri & minui *VVesemb. in parat. n. 3. h. t.* Electa igitur materia est, cujus publica ac perpetua æstimatio esset, quæq; forma publica percussa, pro pretio rei seu mercis, quæ veniret, haberetur, adeoq; pretium & mæra, itemq; emtor & venditor commode discernerentur. Hac itaq; ratione evenit, ut emtionis & venditionis à rerum permutatione distinctus fieret contractus, quantumvis propter originem, quam illa huic debet, magnam inter se affinitatem retinuerint, in tantum, ut permutatio vicem emtionis obtinere *l. 2. C. de Rer. permut.* eaque huic vicina esse etiamnum perhibeatur *l. 2. ff. de Rer. permut.*

III.

Perspecta origine, vocem quoq; emtionis venditionis in antecessum ab ambiguitate liberare conveniens erit. Accipitur

pitur ergo illa, partim generaliter, partim specialiter. Generaliter accepta juxta legem XII. Tabb, omnem alienationem comprehenditur l. 29. §. fin. ff. de statu lib. l. 8. §. 11. ff. quib. mod. pign. vel hypot. soly. & in hac generali ac latissima significatione respectus adhuc habetur ad id temporis, quo emtio & venditio à rerum permutatione nondum erat distincta. Specialiter vero accepta emtio venditio certum denotat contractum, eundemque cum ab aliis, tum in primis à permutationis contractu sua natura & substantia distinctum l. 1. ff. h. t. l. 1. ff. de Rer. permut.

#### IV.

Differentiæ autem quæ inter Emtionem Venditionem & permutationem intercedunt (quamquam plures à Dd. tradantur, Vid. VVesemb. in parat. ff. de Rer. permut.) potissimæ tamen hæ sunt: quod emtio & venditio solo consensu perficiatur, in Permutatione vero ex re tradita obligatio initium capiat l. 1. §. 2. ff. de Rer. permut. Deinde in permutatione uterque contrahentium uno verbo permutasse dicitur, nec in hoc negotio discerni potest, uter Emtor vel uter venditor, item utra res pretium, & utra merx sit. At in Ematione & venditione aliud est emere & aliud vendere, aliud etiam emtor aliud venditor, aliud merx aliud pretium d. l. 1. ff. de Rer. permut. l. 1. §. 1. ff. h. t. cui consequens est, ut in illo quidē contractu uterq; ex permutatione agat, in hoc vero emtori quidem ex Emto, venditori vero ex vendito actio detur §. 1. Inst. h. t. Quamquam Veteres emtionis & venditionis appellationibus promiscuè usi fuerint l. 19. ff. de Añ. Emr. & etiamnum hodie idem observetur, ut vel utraq; vox Emtionis Venditionis conjunctim posita, vel saltem alterutra harum totum contractum denotet, uti patet ex Rubrica Tit. 1. 6. & passim lib. 18. ff. item l. 1. §. fin. l. 2. ff. h. t. idq; secundum naturam relatorum, quorum uno posito præsupponitur aliud In hac igitur speciali & stricta significatione, Emtionem & Venditionem considerare atq; enodare nobis propositum est.

#### V.

Antequam vero ad ulteriorem hujus materiæ disquisitionem



tionem provehamur, definitionem ejusdem hoc loco tradimus; omnis quippe quæ à ratione de re aliqua suscipitur Institutio, à definitione proficisci debet *Cic. lib. 1. Offic.* Definitorum itaque; Emptio Venditio, Contractus Juris Gentium §. 2. *Instit. de Jur. Nat. Gent. & Civ. l. 1. §. 2. ff. h. t. l. 5. ff. de Just. & Jur.* nominatus l. 7. §. 1. *ff. de pact. bonæ fidei §. 28. Instit. de Act. l. 11. §. 1. ff. de Act. Emr. consensu constans l. 2. ff. de Obl. & Act. §. unic. Instit. de Oblig. ex Consensu.* quo id agitur, ut Emptor Venditori certum pretium solvat, §. 1. *Instit. h. t. l. 72. ff. h. t. §. 42. Instit. de Rer. Divis. & venditor emptori rem tradat l. 11. §. 2. ff. de Act. Emr.*

#### VI.

Cumque personarum causa jus constitutum sit §. ult. *Instit. de Jur. Nat. Gent. & Civ.* tradita definitione, prius agendum de personis, quæ Emptionem & venditionem contrahere possunt vel non: Et quia Emptio & Venditio contractus juris gentium est, ac consensu peragitur l. 1. §. fin. ff. h. t. dubium non est, quin regulariter omnes hunc contractum celebrare possint qui consentire, sive sui juris sint sive alieno juri subjecti. In servorum tamen persona (licet & ipsi ex persona dominorum hunc contractum celebrare queant l. 12. 13. 63. ff. h. t.) effectus de iure tunc obligatio. Nec enim in effectus juris cuius incapax est l. 32. ff. de Reg. Jur. servus quicquam debere nec quicquam illi debere potest, nam cum eo verbo abutimur, factum magis quam jus demonstramus. l. 41. ff. de pecul. Confer. §. 13. *Instit. per quas person. cuiq. acquir. §. 1. Instit. de stipul. servorum.*

#### VII.

Filius familias quoque tametsi debere, eiq. debere possit & ob id cum extraneis recte contrahat, excepto tamen peculio castrensi & quasi castrensi, in quo filius familias pro patre fam. habetur l. 2. ff. ad Scitum maced. itemque adventitio, in quo pater usum fructum non habet l. fin. *Cod. de bon. quæ lib.* cum patre ipso emptionem non recte contrahit l. 2. ff. h. t. cuius rei ratio depromitur ex l. 16. ff. de furt. ubi dicitur, quod natura rei sit impedimento, ut non magis cum his quos in potestate habemus, quam nobiscum ipsis agere possimus. Reliqui qui  
sui

sui juris sunt omnes Emptionem venditionem rectè contrahunt, nisi specialiter prohibeantur.

VIII.

Prohibentur autem alii natura, ut infantes, quia nullum eorum est animi iudicium, ergo nec ullus consensus §. 1. *Inst. quib. non est perm. facere test.* furiosi l. 2. *C. de contrah. Em.* quia illorum nulla voluntas est, l. 40. *ff. de Reg. Jur.* menteque plane carent l. 20. §. 4. *ff. qui testam. fac. pos.* §. 1. *Inst. quib. non est perm. fac. test.* & habentur loco absentis & dormientis l. 2. §. 3. *ff. de Jur. Codicill.* l. 124. §. 1. *ff. de Reg. Jur.* excepto tempore dilucidi intervalli arg. l. 20. §. 4. *ff. & l. 9. C. qui testam. fac. pos.* Alii lege, & ex his quidam ob ætatem contrahere prohibentur, ut pupilli, quorum etsi sit aliquis consensus, tamen imperfectus est, & alienatio ejus, nisi tutoris autoritate suffulciatur, nullum effectum consequitur, *princ. Inst. de autor. tutor.* l. 5. *ff. de R. Jur.* rationem suppeditat *Bronchorst. ad d. l. 5. de Reg. Jur.* quod in pupillo sint semina crescentis iudicii, & intellectus initium adit, quod suppletur autoritate tutoris *per. l. 32. §. 2. ff. de acquir. vel amitt. pos.* hinc qui sciens sine veri tutoris autoritate à pupillo emit, non videtur bona fide emisse l. 27. *ff. h. t.*

IX.

Alii ob rerum suarum malam administrationem, ut prodigi, qui teste Ulpiano *in l. 1. ff. de curat. furios. dand.* neq; finem, neq; tempus expensarum habent, sed bona sua dilacerando & dissipando profundunt: his quamvis *Lege 12. Tab.* ipso jure fuerit interdictum bonis, tamen hodiè, ut aliquis prodigus sit requiritur, ut autoritas & sententia Magistratus declaratoria accedat. *Vvesemb. in Parat. de Curat. furios. dand.* & hanc sententiam communiter à Dd. receptam etiam non obscure comprobat. *l. 10. ff. de curat. furios. dand.* priusquam igitur interdictio bonorum, à Magistratu est facta, prodigus omnia facere potest, sive contractuum sive testamenti jura respiciamus, ne videlicet decipiantur, qui cum illis contrahunt. *l. 18. ff. qui testam. fac. pos.*

X.

Alii deniq; ratione officii propter publicam utilitatem

emere & vendere prohibentur. Hinc enim tutor rem pupilli emere non potest. *l. 34. §. fin. ff. h. t.* Nec officiales quicumque eorum quæ administrant, ab illis quibus præpositi sunt emere possunt. *l. 62. ff. h. t. l. 46. ff. eod.*

#### XI.

Perficitur porro Emptio Venditio simul atque de pretio convenerit *princ. Inst. h. t.* & appareat quid, quale, quantumque sit, quod pure venierit *l. 8. ff. de pericul. & commod. rei vend.* Ad essentiam igitur hujus contractus tria requiruntur, scilicet, Res, pretium & Consensus, quo illa permutantur, nisi enim hæc omnia interveniant erit contractus imperfectus *Vvesem. in parat. n. 4. h. t.* detracta enim forma essentialis ipsam rei substantiam propè interimit, ut eleganter tradit Ulpianus *in l. 9. §. 3. ff. ad exhib.*

#### XII.

Ex tribus a. istis hujus contractus essentialibus, haud immerito primo loco investigatur consensus, quippe quo mediante reliqua duo commutantur, atque sic ea consensus includit, teste *Vvesemb. d. loc. & n. 2.* in primis ergo in emptionibus venditionibus necessario intercedere debet consensus *l. 1. §. fin. l. 9. ff. h. t.* & licet in aliis quoque omnibus contractibus consensus requiratur *l. 1. §. 3. ff. de pact. l. 57. ff. de Obl. & Act.* hoc tamen eatenus saltem accipiendum est, quatenus Jure Gentium, consensu naturalis obligatio perficitur, ea enim sola conventionis æquitate sustinetur *l. 95. §. 4. ff. de solut.* quatenus vero jure civili ad agendum efficax obligatio ex consensu producitur, eatenus certi tantum contractus solo consensu perfici, & ex eo substantiam capere dicuntur *§. un. Inst. de obl. ex consens.* Ea que ratione etiam emptio venditio, quæ nostri institui est, in numerum ejusmodi consensualium contractuum refertur, *Vid. Vultej. ad tit. Instit. de Emt. & Vend. Bach. ad Treutl. volum. 1. Disp. 28. Lit. E.*

#### XIII.

Proinde ad essentiam & perfectionem hujus contractus non requiritur, ut res tradatur aut pretium exsolvarur, sed  
suffi-

sufficit eos qui negotium gerunt consentire *d. §. un. Inst. de Obl. ex consens. l. 2. §. 1. ff. h. t.* nam venditor ratione pretii fidem emtoris sequi potest, *§. 41. Inst. de Rer. divis. l. 19. ff. h. t.* Nec præterea ad perfectionem emtionis, arrhæ quicquam intervenisse necesse est: Si quid enim arrhæ nomine detur, hoc eo saltem pertinet, ut evidentius probari possit conventio *princ. Inst. l. 35. ff. h. t.*

#### XIV.

Quod autem dictum est, traditionem rei ad perfectionem contractus emtionis non requiri, hoc ipsum limitatur eo casu, cum res venditæ pondere numero mensura constant: In his enim non ante perfecta, censetur emtio, quam cū ad mensuram, appensæ & adnumeratæ fuerint *l. 35. §. 5. ff. h. t. l. 1. §. 1. ff. de pericul. & commod. rei vend.* nisi forte istæ res in aversione hoc est acervatim uno pretio sint venditæ, tunc enim statim simulatq; de pretio convenerit, perfecta est venditio *l. 62. §. fin. ff. h. t.*

#### XV.

Sed nec scriptura ad essentiam hujus contractus quicquam facit *§. un. Inst. de Obl. ex Consens.* si tamen ab initio inter contrahentes convenerit, ut per scripturam Emtio venditio celebraretur, tunc ob ejusmodi pactum veluti sub conditione initus contractus Schnobel. *Disp. Pand. II. Thes. 2.* non ante perfectionem suam consequitur, quam scriptura omnibus partibus fuerit absoluta, *per princ. Inst. h. t. l. 17. C. de fid. Instrum.* itaque eo quidem casu, ad Emtionis venditionis perfectionem necessaria est scriptura, non tamen ex natura hujus contractus, quæ solum consensum requirit *d. §. un. Inst. de Obl. ex consens.* sed propter pactum quod legem dedit contractui *l. 7. §. 5. ff. de pact. l. 23. ff. de Reg. Jur.* & hinc quoq; est, ut isto casu, ante scripturæ confectionem ab Emtione recedere ac pœnitere liceat, ita tamen impunè, nisi jam arrharum nomine aliquid datum sit, hoc enim subsecuto si emtor contractum perficere recuset, perdit quod dedit, si venditor, duplum restituere cogitur, *princ. Inst. h. t. l. 17. C. de fid. Instrum.*

#### XVI.

## XVI.

In consensu circa Rem & pretium (sic enim in uno horum dissentiant contrahentes, totum negotium imperfectum est *l. 9. h. t. l. 17. ff. de Obl. & Act.*) formam substantialem hujus contractus consistere hactenus ostensum est, nunc quoque, quo modo consensus iste comparatus esse debeat, dispiciendum. Requiritur ergo 1. ut sit consensus certus, hoc est non simulatus, nec obscurus, nec erroneus. Excludimus igitur consensum simulatum; v. g. si quis donationis causa, non exacturus pretium, venditionem faciat *l. 36. ff. h. t. l. 3. l. 9. C. eod.* quod si etiam obscurus fuerit consensus, contra eum fit interpretatio qui potuit apertius legem dicere *l. 21. ff. h. t. l. 39. ff. de pact.*

## XVII.

Sine errore quoque consensus adhiberi debet, nihil enim consensui tam contrarium est quam error *l. 15. ff. de Jurisdic. l. 116. §. fin. ff. de Reg. Jur.* circa errorem tamen, quia varius est, sic distinguimus: aut enim committitur in nomine & hoc casum nihil facit error nominis, cum de corpore constet *l. 9. §. 1. ff. h. t.* Nomina enim tantum significandarum rerum gratia reperta sunt, quæ si alio quolibet modo intelligantur, nihil interest. *§. 29. Inst. de Legat.* vel in ipso corpore, & emptio est nulla *per l. 9. in pr. & §. 1. ff. h. t.* Vel in materia seu substantia, que toto genere est diversa & hic quoque contractum vitiat *l. 9. §. ult. l. 41. §. 1. h. t.* v. g. si mensa argento cooperta, pro solida veneat, nihil enim habet commune lignum cum argento, nec operimentum est pars materiæ scilicet: mensæ, sicut nec vestimentum corporis *Vvesemb. n. 6. in parat. h. t.* Aliud vero dicendum, si in qualitate saltem vel parte materiæ sit erratum, de quo *vid. Gothofr. ad l. 41. §. 1. h. t. l. B.* quo respicit *l. 14. ff. h. t. emptor* tamen agit ad hoc, in quantum deceptus est, *vid. Gothofr. ad l. 21. §. 2. ff. de ad. emt. l. 11.*

## XVIII.

Ad Consensum præterea requiritur ut liber sit, & non coactus, *l. 11. C. h. t. l. 16. C. de jur. delib.* Nam quoque nihil consensui tam contrarium est, quam vis & metus, *l. 116. ff. de Reg. J.*  
Inter.

Interdum tamen aliquis inuitus rem suam vendere compelli potest, cum videlicet id publica necessitas & utilitas suadet, §. 2. *Instit. de his qui sunt. sui vel al. jur. l. 12. ff. de Relig. & sumt. fun.* vel hoc ita dispositione testatoris legem habente, *Nov. 22. c. 2.* provisum sit, *l. 49. §. pen. l. 66. de Legat. 1.* his autem casibus, præsertim primo, justum pretium venditori solvendum est: *l. 12. ff. de Relig. & sumt. fun. Schuobel. Disputat. pand. 11. thes. 4. & Disput. Feud. 3. th. 14.*

### XIX.

Deniq; consensus omnis doli expers esse debet, est enim Emptionis contractus bonæ fidei §. 28. *Instit. de Act. (cui dolus est contrarius l. 5. C. de rescind. vend.)* & alter alteri obligatur in id, quod alterum alteri ex bono & æquo præstare oportet, §. *unic. Instit. de Oblig. ex Consens.* Dolus autem, vel ab utraque parte intervenit, & hic vitiat contractum emtionis & venditionis, *l. 34. §. 3. ff. h. t.* vel ab alterutra intercessit, ita ut dolus causam contractui dederit, & annihilatur volente eo qui deceptus est, *l. 5. C. de rescind. vend.* Huic tamen non repugnat Ulpianus in *l. 16. §. pen. ff. de minor.* dicens, quod in pretio emtionis & venditionis naturaliter licitum sit contrahentibus se circumvenire: ad hoc enim convenienter respondet *l. 10. Cod. de rescind. vend.* quod scilicet dolus Emptoris qualitate facti, non quantitate pretii æstimetur & in *l. 8. C. eod. tit.* quod emptor viliori pretio comparandi, venditor cariore distrahendi voluntæ gerentes, ad hunc contractum accedunt, & *Gothofr. ad §. pen. l. 16. ff. de minor. L. D. in fin.* naturam omnium contrahentium hanc esse ait, ut velint in vendendo & emendo aliquod lucrum facere; Dummodo tamen hæc deceptio non excedat dimidium iusti pretii *l. 2. C. de rescind. vend.* Incidens vero dolus per actionem ex contractu purgatur *l. 10. Cod. de resc. vend. Wesemb. in parat. ff. h. t. n. 15.*

### XX.

Præter consensum porro ad hujus contractus substantiam requiritur Res, quia nulla emtio & venditio sine re quæ veneat, potest intelligi *l. 8. ff. h. t.* Et pretium, nam & sine  
C pre-

pretio nulla est venditio l. 2 §. 1. ff. h. t. pr. Instit. eod. Non tamen hæc duo eadem ratione qua consensus, ad substantiam emtionis pertinent, sed eatenus quatenus ea consensus includit, nam ut supra ostensum, consensus de re & pretio ab initio statim intervenire debet, ut ex eo substantiam capiat obligatio. Rei autem & pretii interventus, hoc est, eorum traditio & numeratio, non tam ad perfectionem, quam ad implementum & consummationem pertinent, pr. & §. 1. Instit. h. t. de singulis vero, Re videlicet & pretio, breviter deinceps separatim agemus:

### XXI.

Rerum igitur omnium fieri potest Emtio, si modo sint in commercio, sive corporales sive incorporales, l. 2. C. de Oblig. & Act. tot. tit. ff. & Cod. de hered. vend. sive præsentis sive spei inherentes l. 8. ff. h. t. l. 12. ff. de Act. Em. Quas omnes præter allegatos textus generaliter comprehendit, l. 34. §. 1. ff. h. t. Ubi dicitur, quod omnium rerum quas quis habere, vel possidere, vel persequi potest, venditio recte fiat.

### XXII.

Cæterum res quæ vel natura, vel Jure Gentium vel moribus civitatis commercio sunt exemptæ, in hunc contractum incidere nequeunt, d. l. 34. §. 1. ff. h. t. Et quidem in specie prohibentur emi res, quæ nec sunt, nec in rerum natura esse possunt, ut chimæræ & Hippocentauri arg. §. 1. Inst. de inutil. stipul. Res quoque divini Juris, nec non publicæ, item liber homo non nisi ab ignorante emi possunt, quo casu deceptus emptor adversus venditorem ad interesse habet actionem, §. ult. Inst. h. t. l. 62. §. 1. l. 34. §. 2. l. 70. ff. eod. tit. Secus vero est, si quis sciens ejusmodi res emerit; damnum enim quod quis culpa sua sentit, sibi non aliis imputare debet, c. 86. de Reg. Jur. in 6. l. 203. ff. eod. Referuntur etiam huc res extinctæ quæ præstari nequeunt, cum distinctione tamen, quæ est in l. 57. pr. & §. 1. ff. h. t. Aliæ vero ratio est earum rerum, quæ licet nondum sunt, verisimiliter tamen futuræ sperantur, l. 8. §. 1. ff. h. t.

### XXIII.

Prohibentur porro vendi, Res universitatis, nisi adhibean-

beatnr solennitates, l. fin. C. de vendend. reb. civit. Venena l. 39  
§. 2. ff. h. t. Res litigioſe l. 1. §. fin. qua res pign. vel hypoth. dar. non  
poſ. l. fin. C. de litig. furtivæ l. 34. §. 3. ff. b. t. l. 2. C. de furt. quod am-  
pliatnr etiam in rebus, à latronibus vel militibus in præſidio  
non degentibus, emtis, l. 5. C. de furt. l. 23. C. de Rei vind. quia qui  
cum alio contrahit, vel eſt, vel debet eſſe non ignarus ejus  
conditionis, cum quo contrahit, l. 19. ff. de Reg. Jur. Item arma  
hoſtibus imperii propter publicam utilitatem, ſub pœna ca-  
pitiſ & confiscationis bonorum, l. 2. Cod. qua res exportari non  
deb. Domus negotiandi cauſa ut deſtruatur, quo caſu contra  
eum, qui adverſus Scutum hoc fecit, ſiquidem emtor ſit, con-  
ſtitutum eſt, ut duplum ejus quanti emiſſet, in ærarium inferre  
cogatur, ſi vero venditor, irrita ſit venditio, l. 52. ff. h. t. cujus  
rei ratio eſt, ne publicus deſormetur aſpectus, l. 2. C. de edific.  
privat. Feudum ſine conſenſu domini, quod pro regula tra-  
dit Schnob. Diſſ. Feud. 9. th. 1. idque ex hac ratione, ne vaſalli  
feudis ac facultatibus ſuis exuti, ad ſervitia præſtanda minus  
ſiant idonei, 2. Feud. 52. princ. verſ. permultas. Emphyteuſis  
l. fin. C. de Jur. Emphyteut. niſi domino proprietatis denunci-  
tur. Præcepto deniq; teſtatoris alienari prohibita, Nov. 22. c. 2.

XXIV.

Reliqua igitur alienari non prohibita in hunc contra-  
ctum adeo veniunt, ut quis etiam rem alienam, qua ſua non  
ſit, vendere poſſit, l. 28. ff. b. t. Nec enim qui vendit, necelle ha-  
bet dominium rei transferre, ſed tantum, ut emtori eam ha-  
bere liceat, l. 25. §. 1. ff. d. l. 30. §. 1. ff. de Act. emt. cum, ne propter in-  
certitudinem & difficultatem probationis dominiorum, im-  
pediatur hic contractus uſibus quotidianis maxime necella-  
rius, VVeſemb. in Parat. n. 12. de Contr. Emt. tum, quia ſufficit, ven-  
ditorem pro eviſtione teneri, l. 66. ff. b. t. Gothofr. ad l. 28. ff. eod.  
L. B. neque tamen hoc ipſo quicquam juris invito domino au-  
fertur, l. 6. C. de reb. alien. non alienand. res quoq; emtoris pro-  
pria ſub conditione emi poteſt, l. 61. ff. b. t.

XXV.

Reſtat ut de pretio agamus, quoniam Emtionis ſubſtanti-  
a conſiſtit etiam ex pretio l. 72. ff. h. t. ad pretii vero conditio-



nem requiritur 1. ut sit certum, §. 1. *Inst. h. t. l. 37. §. 1. ff. eod.* & hæc certitudo, vel per expressam contrahentium determinationem, ut puta: si merx decem vendatur, vel per relationem ad aliud declaratur, veluti si quis dicat: se tanti vendere, quantum est in arca *l. 7. §. 1. ff. h. t. Schnob. Diss. Pand. n. th. 8.* quare, si vendiderit sub tali conditione & nihil sit in arca, venditio utpote pretio deficiente nulla est *l. 37. ff. h. t.* vel, si pretium in arbitrium tertii conferatur, & is qui nominatus est, illud definierit, §. 1. *Inst. h. t.* non etiam si conferatur in arbitrium alterius contrahentium, talis enim obligatio, cum non astringat necessitate contrahentes, nulla est, *l. 13. C. h. t.* cum possit emtor aestimare vel non aestimare, & rem habere emtam vel non. *l. 35. §. 1. ff. h. t.* sed hoc quidem in substantialibus hujus contractus, quale etiam pretium est, ita se habet, ut in alterius contrahentium arbitrio conferri nequeant, in iis vero quæ accidunt contractui limitationem recipit, v. g. si per adjunctionem temporis venditio celebretur hoc modo: si domus intra quadriensium tibi placuerit, sit emtus tot aureis, §. *penult. Inst. h. t.* quas restrictiones inter alios suppeditat, Bronch. *ad l. 22. §. 1. ff. de Reg. Jur.*

#### XXVI.

Præter certitudinem deinceps requiritur, ut pretium in numerata pecunia consistat, §. 2. *Inst. h. t. l. 1. §. 1. ff. h. t. eaq;* proba & legitima, *arg. l. 24. §. 1. ff. de pignor. act.* quod si vero pecunia numerata, non ut genus, sed ut species certumve corpus detur, non erit emtio & venditio, sed contractus aliquis innominatus, & ita intelligenda est, *l. fin. ff. de condit. caus. dat. caus. non secut.* ut ibi species cum specie commutari dicatur; in aliis juris textibus habetur, hæc formulâ loquendi, do tibi pecuniam ut rem accipiam, contractam emtionem intelligi, ut *l. 5. §. 1. ff. de præscript. verb. eo* ergo casu pecunia pretii loco numerata præsupponitur.

#### XXVII.

Sufficit tamen ad perfectionem emtionis ab initio numeratam pecuniam, pretii loco & animo solvendi, promissam esse, licet realis solutio vel numeratio non subsequatur, *l. 2. §.*

*l. ff. b. t.* unde si postea vel donetur, vel alio modo remittatur, vel etiam loco pecuniæ promissæ, alia res in solutum detur, non ob id contractus irritus efficitur, *l. 9. C. de rescind. vend.* In contractibus enim initium potius spectandum est, *l. 78. ff. de verb. Oblig.*

### XXVIII.

Hactenus de essentialibus huius contractus diximus: Sequitur jam, ut deinceps de forma quam ex accidenti accipit dispiciamus. Hac vero consistit in variis pactis, quæ emtionis venditioni apponi solent, ex quibus frequentissima sunt: Addictio in diem, lex commissoria, & pactum de retrovendo. Addictio in diem receptissimum pactum est, in emtione & venditione, & describi potest, quod sit constitutio rei venditæ penes emtorem, hac lege, ut nisi intra determinatum tempus melior conditio offeratur, res sit perfecte emta, *l. 1. ff. de in diem addict.*

### XXIX.

Defumptum videtur hoc pactum à subhastatione publicâ, qua res ita emtori adjudicatur, si nullus intra certum tempus supervenit, qui eandem pluris licitatus sit, ac pretium à priori oblatum augeat, *l. 4. C. de fid. & jur. haste fisco.* melior autem conditio tunc allata videtur, quando utilitas venditoris optabilior efficitur, *l. 4. §. fin. ff. de addict. in diem.* & tunc venditor priori emtori significare debet, quid posterior obtulerit, eique liberum relinquere, an hæc conditionem acceptare velit & ipse plus adjicere *l. 7. l. 8. ff. d. tit.* quod verum est, si vera non simulata sit oblatio, offerens enim plus justo, non ut emat, sed ut alios ad emendum inducat, incidit in crimen stellionatus, *arg. l. 3. §. 1. ff. stellionat.* & nihilominus priori res emta intelligitur, *l. 4. §. 5. ff. de in diem addict.*

### XXX.

Addictio in diem duobus modis fit, videlicet vel sub conditione resolutiva, vel sub conditione suspensiva; prioris modi exemplum est: ut meliore conditione allata, ab emtione discederetur; indeq; emtio pura censetur, quæ tamen sub conditione resolvatur. Posterioris: ut perficiatur emtio, nisi

C ;

mc.

melior conditio offeratur; & sic est emptio conditionalis, l. 2. ff. de in diem addit. Magni autem refert, utrum accedente hoc pacto pure, an conditionaliter emptio contrahatur, priori enim casu, & commodum & periculum rei venditæ interea in emptorem transit, l. 4. §. 4. ff. d. r. eamq; emptor pignori dare, l. 4. §. 3. ff. d. r. item vindicare, l. 4. ff. de rei vind. aliaq; quæ domini sunt agere, d. l. 4. §. 3. & 4. d. r. & si fortè venditor dominus non fuerit usucapere potest, l. 2. §. 4. ff. pro Emt. l. 2. §. fin. ff. de in diem addit. Conditione autem meliore verè, non simulate nec fraudulentè allatà, l. 4. §. 5. ff. de in diem. addit. rescinditur prior venditio, & fructus venditori sunt refundendi, l. 6. l. 16. ff. eod. Posteriori casu, quia conditiones contractus suspendunt, & hitum demum, cum impleta fuerit conditio, perficiuntur, l. 7. ff. de contrah. emt. non existente conditione, quasi nulla obligatione nata, exinde nihil ad effectum deduci potest, l. 4. ff. de in diem addit.

### XXXI.

Alterum pactum est Lex commissoria, qua id agitur, ut nisi intra certum diem pretium exsolvatur, res incerta sit, l. 4. ff. de leg. commiss. & est contractus purus, qui resolvitur sub conditione, puta per defectum solutionis, l. 1. ff. de leg. commiss. Huic pacto legis nomen tribuitur, quia contractus legem ex conventionè accipiunt, l. 1. §. 6. ff. de posit. l. 23. ff. de Reg. Jur. commissoria vero dicitur quod arbitrio venditoris committatur, & in ejus potestate relinquatur, utrum si statuto tempore pecunia non exsolvatur, suo jure uti velit, & contractum resolvere, an vero pretium petere malit; altera tamen via electa amplius variare nequit, l. 3. l. 4. §. 2. ff. de leg. commiss. quippe in ejus commodum & favorem hæc pactio est introducta, l. 2. & 3. ff. eod. committitur autem, quamvis emptor non interpellatus pretium statuto die non offerat, l. 4. §. fi. ff. eod. dies enim interpellat pro homine, arg. l. 12. Cod. de contrah. stip. nisi tamen iustas causas quibus sit impeditus allegare possit, l. 4. §. fin. ff. de leg. commiss.

### XXXII.

Venditore igitur legem commissoriam exercente, emptor

propter rem utpote incertam restituere cogitur, una cum ar-  
thæ dispendio l. 6. ff. de leg. commis. & fructibus quos interim  
perceperat, cum nihil residere oporteat apud eum ex illa re,  
in qua fidem fefellit, l. 5. ff. d. 1. nisi tamen emptor partem pre-  
tium exsolverit, nam eo casu fructus interea perceptos lucra-  
tur, l. 4. §. 1. ff. eod. hoc autem pactum quamvis huic contractui  
frequentissime accedat, quoniam neq; emptorem damno af-  
ficit, neq; venditorem lucro, sed omnia in pristino statu ma-  
nent, Mynsing. ad §. pen. n. 4. h. t. ad pignus tamen accedere non  
debet, ut, si debitor intra certum diem non exsolverit, quod  
tunc pignus creditoris sit, l. ult. Cod. de pact. pign. quia egens  
pecunia etiam duriora pacta adjiceret, Myns. d. n. 4.

### XXXIII.

Tertium moribus frequentissimum, nostrisq; contra-  
ctui proprium pactum est, quod de retrovendendo appella-  
tur, quando scilicet ita res distrahitur, ut oblato quando cun-  
que pretio, venditori, vel ejus heredi, vel cui id jus venditor  
cesserit, restituatur, Treut. vol. 1. Disp. 28. th. 10. & Bacchov. ad Treut.  
d. 1. hoc pactum præcisè est servandum, l. 2. Cod. de pact. int. emt.  
& vend. nec juri redimendi venditori quæsito, longissimo  
tempore præscribitur d. l. 2. Schnob. Disp. II. Th. 10. ad ff. cum  
jus offerendi sit mera facultatis, quam sententiam velut verio-  
rem & æquiorè, etiam Cameram Imperial. sequi testatur,  
Gail. 2. Obs. 18. n. 4. Mynsing. 1. Obs. 16. Videatur etiam aliàs de hoc  
pacto, d. Mynsing. cent. 6. Obs. 70.

### XXXIV.

Ad accessoria hujus contractus referri quoque possunt,  
Ædilitium edictum & Evictio; quamquam hæc non Emptionis  
propria, sed & aliis negotiis communia sint. Ædilitium,  
ergo edictum etiam cum primis ad venditorum fraudes &  
fallacias extirpandas pertinet, l. 1. §. 1. ff. de edil. edict. nam si  
venditor vitium rei clam emptorem habuerit, ut redhibeatur,  
restituto pretio agi potest, l. 1. §. 1. l. 21. 22. 27. 29. ff. de edil. edict. vel  
etiam, ut quanti minoris res valuerit, eo tempore quo emere-  
tur, restituatur emptori, l. 19. §. fin. l. 61. ff. eod. redhibitoria autem  
actio

actio non aliter intentari potest, nisi vitium plane usum rei impediatur, l. 4. §. fin. & l. 5. ff. eod. scæus est, si sit vitium rei in hærens, hoc enim casu agitur ex emto quanti minoris, l. 1. §. fin. l. 2. & 3. ff. eod. Utraq; tamen actio temporalis est, juxta l. 19. §. fin. l. 28. & l. 38. ff. de adil. edict. l. 2. C. eod.

XXXV.

Alterum commune accessorium est Eviçtio; Hæc quamvis ex natura hujus contractus cui semper inest, licet nihil de ea convenerit, sit præstanda, l. 11. ff. de ad. emt. l. 19. 60. ff. de eviçt. l. 6. C. eod. tamen etiam plerumq; per stipulationem caveri eo nomine solet. Priori autem casu, per actionem ex empto, simplum pretii una cum eo, quod ex natura contractus interest emtori, præstandum venit, l. 19. l. 60. l. 70. ff. d. t. Posteriori casu si eviçta res sit, in tantum ex stipulationis causa agitur, quantum absque tamen satisfactione repromissum est, sive simplum sit, sive duplum, sive triplum, l. 16. 17. 37. 56. ff. d. t. Et quamvis liberum sit emtori eviçta re adversus venditorem, vel ex emto, vel ex stipulatu agere, l. 18. l. 56. ff. d. t. Trent. voi. 2. Disp. 2. th. 6. l. 2. inter illas tamen actiones quicquam interest, qua de re vid. Wesemb. in parat. ff. de Eviçt. n. 6. & seqq.

XXXVI.

Cessant verò hæc actiones, si Emto sciens rem alienam vel alii obligatam emerit, l. 27. C. de Eviçt. & si cum ei lis moveatur, eandem venditori (qui tunc emtori assistere tenetur, l. 49. ff. de judic. l. 1. C. ubi in rem actio exerceri debet,) mature non denunciaverit, l. 8. l. 21. C. de Eviçt. quod si verò res antequam eviçtatur, in venditoris dominium venerit, ipse venditor eam ab emptore petere & evincere nequit, quippe exceptione rei venditæ & traditæ repellitur, l. 1. pr. l. 3. pr. & §. 1. ff. de except. rei vend. l. 17. ff. de Eviçt.

XXXVII.

Nunc priusquam ad modos contractum emtionis dissolvendi deveniamus, duplicem ejusdem effectum breviter considerabimus: quorum primus est, de periculo & commodo rei venditæ, quod perfecta emtione ad emtoem pertinet, licet

licet ipsi ea res nondum sit tradita, l. 8. ff. de pericul. & commod. rei vend. §. 3. Inst. h. t. Venditor vero interitu speciei, sicut alius debitor dolo & culpa carens liberatur, l. 23. ff. de verb. Obl. quod tamen de emtione pura intelligendum, l. 8. ff. de pericul. & commod. rei vend. nam si res sub conditione vendita sit, siquidem conditio defecerit, deficit etiam emtio quia conditionales venditiones tunc perficiuntur cum impleta fuerit conditio, l. 7. ff. d. Contr. emt. & proinde periculum interim est venditoris, si vero conditio exiterit emtoris est periculum, l. 8. ff. de per. & commod. rei vend. eoq; casu, emtor si forte pretium solverit, ejus repetitionem non habet, si non solvit adhuc solvere tenetur, §. 3. Inst. h. t.

### XXXVIII.

Quamquam vero venditor perfecta Emptione, periculum non sustineat, nihilominus tamen quia in hoc contractu utriusq; versatur utilitas, levem culpam prestare tenetur, l. 9. ff. de pericul. & commod. rei vend. Bronch. ad l. 23. ff. de Reg. Jur. adhuc etiam fortuitum casum, si is culpa ejus evenerit l. 11. ff. d. r. quod si alternativa rerum venditio facta sit, una res periculo emtoris est, & ideo prioris interitus & omne periculum venditoris respicit, in posteriori supra de periculo & commodo tradita locum habent, l. 34. §. 6. ff. de contrah. emt.

### XXXIX.

Alter effectus est, quod ex hoc contractu, duæ actiones resultent, actio videlicet emti l. 11. ff. de act. emt. & venditi l. 13. §. 19. ff. eod. §. 1. Inst. h. t. Utraq; directa civilis, l. 33. ff. de ad. lit. edit. bonæ fidei §. 28. Inst. de act. l. 11. §. 1. ff. de act. emt. & illa quidem datur emtori ejusve heredi, modo pretium prius sit solutum, vel debito modo oblatum, l. 13. §. 8. ff. de act. emt. aut si fides de eo sit habita, §. 41. Inst. de rer. divis. l. 19. ff. h. t. adversus venditorem, ut præcisè tradat rem venditam corporalem, si scilicet tradendi facultatem habeat; & hoc casu si est dominus, dominium quoq; transfert l. 11. §. 2. ff. de act. emti. l. 26. ff. de acquir. rer. dom. vel saltem usucapiendi conditionem præstat. vid. Gothof. ad d. §. 2. l. 11. aut si res incorporalis vendita sit, eam quasi tradat, per patientiã sc. quæ in incorporalibus pro traditione habetur, l. 3. ff. de usufr. Vvesemb. in parat. eod. n. 9. si res non tradatur, ad id quod interest emtoris agitur, l. 1. ff. de act. emt.

D

XL.

## XL.

Præterea hac actione emptor, ex natura hujus contractus de evictione experiri potest, si res evicta fuerit *l. 11. §. 1. ff. de act. empt. l. 6. C. de evict.* dum tamen ut supra quoq; indicatum, antequam res evincatur, mature venditori denunciaret, dictatum esse judicium *l. 29. §. 2. l. 53. §. 1. ff. de evict.* Similiter si res vitiosa tradatur, cum emptor de vitio certior non fiat, etiam ad redhibendum agere potest, *l. 11. §. 2. ff. de act. empt.* si tamen tale sit vitium, quod usum rei impediatur, *l. 1. §. pen. l. 4. §. ff. de edil. edict. v. v. Semb. n. 9. 10. in parat. de edil. edict.* vel si tale non sit, quanti minoris ex empto agit, *l. 19. §. fin. ff. de edil. edict.* Conferantur que *supr. thes. 24.* tradita sunt. Quod si etiam venditor pacta emptioni adjecta non servaverit, & si quid dolo, aut culpa venditoris fiat, v. g. si ex falsa commendatione res plurius justo vendatur, ex empto ad id agitur ut quanto plurius res empti sit reddatur *l. 13. §. 4. ff. de act. empt.* quicquid denique ex natura hujus contractus præstare æquum est, in hoc judicium venit, *l. 11. §. 1. ff. de act. empt. §. un. Inst. de Obl. ex consens.*

## XLI.

Hæc scilicet actio ex vendito competit venditori, *l. 13. §. 19. ff. de act. empt. adversus emptorem, ejusq; heredes l. 2. C. de pact. cum omnes actiones ex contractu bonæ fidei descendentes, regulariter transeant ad heredes active & passive l. 152. §. fin. ff. de Reg. J. ad pretium rei venditæ & usuras ejusdem tardius soluti (quæ in contractibus bonæ fidei à tempore moræ debentur, *l. 32. §. 2. ff. de usur.*) præstandas *l. 13. §. 20. ff. de act. empt. l. 13. C. eod. tit.* una cum sumptibus in re vendita post venditionem factis, *l. 13. §. 22. ff. de act. empt.* imo ad omnia ea consequenda, quæ ab emptore ei præstari oportet, *l. 13. §. 19. ff. eod.**

## XLII.

Hactenus, quæ ad constitutionem hujus contractus requiruntur, quasi per transennam inspeximus; Nunc porro etiam quod ad ejusdem resolutionem facit videamus. Cum autem naturale sit, eo genere quidq; dissolvere, quo colligatum est, *l. 35. l. 153. ff. de Reg. Jur.* ideoq; cum hic contractus consensu sit initus *l. 1. §. fin. ff. h. t.* per contrarium utriusque partis consensum, ab eodem, si res adhuc sit integra, recedere licet *§. fin. Inst. quib.*

quib. mod. toll. oblig. l. 3. ff. de resc. vend. Notanter verò dicimus, si res adhuc sit integra, nam si prater consensum rei quoq; traditio, vel pretii solutio, siue in totum siue pro parte interueniat, non solvitur contractus solo consensu, nisi actus priori similis retro agens venditionem intercedat, l. 5. ff. de pact. l. 1. 2. C. qu. and. lic. ab empt. disced. quod si arrha data sit, siquidem ut Symbolum emptionis, res adhuc integra intelligitur, si verò ut pars pretii secus est, Gothofr. ad d. l. 2. Cod. qu. and. lic. ab empt. disced. L. A. fidejussor tamen non efficit, quo minus res sit integra, quia liberato reo & fidejussor liberatur, l. 3. ff. de resc. vend.

#### XLIII.

Præterea dissolvitur & hic contractus, stipulatione Aquiliana; quippe omnium rerum obligatio in stipulatum deducta, per acceptilationem tolli potest, §. 2. Inst. quib. mod. toll. obl. cum etiã novatione disceditur ab Emptione l. 2. ff. de resc. vend. dum tamen posterior emtio perinde valida sit atq; prior; nam si quod pure emissem, sub conditione rursus emam, imperfecta hac conditione tollitur prior l. 7. ff. de resc. vend. valet enim in contractibus hæc regula: quod utile per inutile non vicietur §. 4. Inst. d. inutil. stip. l. 1. §. pen. ff. de verb. oblig. Can. 37. extr. de Reg. 3. in sexa.

#### XLIV.

Ex prædictis quidem constat, alterutra parte invita, abini ab emptione perfecta non posse, l. 3. l. 7. Cod. de resc. vend. etiam si quis duplũ solvere paratus sit l. 6. C. cod. si tamen metu emtio sit facta, quamvis valeat, cum coacta voluntas sit etiam voluntas l. 21. §. pen. ff. quod. met. causa. at tamen quia est res mali exempli vvefemb. in parat. n. 6. de resc. vend. emtio tanquam mala fide contracta rescinditur, l. 1. C. de resc. vend. item si vel emtor vel venditor ultra dimidium iusti pretii seu æstimationis læsus fuerit, rescinditur venditio l. 2. C. de resc. vend. propter minimam autem læsionem, ob summam commerciorum utilitatem emtionem rescindi non posse, supra ostendimus.

#### XLV.

Supereſt ut de jure *πρόληψος*, quod alias jus retractus, proximitatis, item jus congrui, germanice, *näher Kauf* *Einſtand* / *Abtrieb* dicitur, Schnob. de Feud. Diſp. 9. th. 21. paucis agamus, cum hoc quoq; jure emtio & venditio dissolvatur,



permittere enim jure *αποσμησας* certis personis cognationis vel vicinitatis vel alia proximitate venditori conjunctis, eos in extraneum alienatas revocare & retrahere, qualis quidem Retractus licet antiquitus in usu fuerit, & ipso jure divino non in cognitus *Lev. 25. vers. 25.* Jure tamen communi civili non est permissus, *l. 14. C. h. t.* Imperator vero Fridericus hoc jus retractus nova Constitutione roboravit, *5. Feud. 13.* & quamvis illa Constitutio in Feudis obtinere, & in his minus dubium habere videatur, ob id quod agnati, ex beneficio primi concedentis vel acquirentis jus quæsitum habent, *2. Feud. 9. §. 1. 2. Feud. 14. & 39. princ.* tamen in aliis quoque rebus jus retractus ex generali Germaniæ consuetudine, locum habere testantur, *Gail. 2. observ. 19. Mysing. Centur. 3. observ. 51.*

XLVI.

Requitur autem ut retrahens justum pretium & integrum offerat, *arg. l. 13. §. 8. ff. de act. emt.* quod scilicet vel emtor solvit vel solvere paratus est. *l. 2. §. 1. ff. h. t. 2. Feud. 9. §. porro,* & quidem realiter in pecunia numerata, nec sufficit, quod retrahens pignora vel fidejussores quamvis idoneos dare velit *arg. l. 4. §. 3. ff. de re. jud.* Requiritur etiam, ut retractus intra annum & diem exerceatur, *2. Feud. 26. §. Titius.* quod tempus non absenti & ignorantem, sed plenam rei notitiam habentem, & à traditione, non autem à facta venditione currit, *Gail. 2. Obs. 19. n. 17.* ignorans autem, demum triginta annorum spatio excluditur, exemplo reliquarum præscriptionum, *l. 3. C. de præscript. 30. vel 40. ann. Tiraquell. de Retractu Gentilitio §. 1. Gloss. 10. n. 10.* apud quem etiam plura de hac retractus materia videri possunt.

XLVII.

Jam quoque Coronidis loco de contractu conventionali dicendum foret, nisi ejus tractatum commodius supra *thes. 33.* quamvis breviter, instituissemus, ne ergo crambe bis cocta apponatur, finem hic in N. D. N. J. C. in quo cæpimus, facientes, uberrimam emtionum & venditionum materiam hac vice feliciter concludimus.

SOLI DEO GLORIA.



Ad Dn. RESPONDENTEM.

PERge laborando studiorum quærere fructus ;  
Nam sua divendit dona labore Themis;


HEINRICH SCHUCKMAN,  
J. D. Codicis in Academia  
Rostochiensis Professor &  
Ducalis Consistorii Asses-  
sor.



NON frustra Sobolem te commisisse Roseto,  
Ex his, quæ recipis, Westphala terra vides.

*cum gratulat. scrib.*

HERMANNUS SCHUCKMAN  
Theol. D. & Prof.



Ad præstantiss. Dn. RESPONDENTEM.

HACTENUS Ortgisi, juris conamina tecum  
Inter privatos delituere lares.

Nunc


Nunc facis, ut pateant aliis, hinc pulpita scan-  
Et te non obiter Jus didicisse probas. (dis,  
Defensurus enim, vulgas vendentis e mentis  
Quæ tibi jam pridem cognita jura tenes.  
Pergito sic alacer; virtutis præmia nunquam  
Mercari poteris cautius ipse tibi!


*benevolentia causa ser.*

P R Æ S E S,









ates, l. fin. C. de vendend. reb. civit. Venal. 39  
 tigiola l. 1. §. fin. qua res pign. vel hypoth. dar. non  
 g. furtiva l. 34. §. 3. ff. b. t. l. 2. C. de furt. quod am-  
 rebus, à latronibus vel miliibus in præsidio  
 , emtis, l. 5. C. de furt. l. 23. C. de Reivind. quia qui  
 hit, vel est, vel debet esse non ignarus ejus  
 n quo contrahit, l. 19. ff. de Reg. jur. Item arma  
 i propter publicam utilitatem, sub pœna ca-  
 tionis honorum, l. 2. Cod. qua res exportari non  
 otiam di causa ut destruat, quo casu contra  
 as SCtum hoc fecit, si quidem emtor sit, con-  
 uplum ejus quanti emisset, in ærarium inferre  
 venditor, irrita sit venditio, l. 52. ff. b. t. cujus  
 publicus deformeretur aspectus, l. 2. C. de edific.  
 n sine consensu domini, quod pro regula tra-  
 Feud. 9. th. 1. idque ex hac ratione, ne vasalli  
 tibus suis exuti, ad servitia præstanda minus  
 eud. 52. princ. vers. permultas. Emphyteusis  
 phytent. nisi dominio proprietatis denunci-  
 leniq; testatoris alienari prohibita, Nov. 22. c. 2.

XXIV.

gitur alienari non prohibita in hunc contra-  
 ant, ut quis etiam rem alienam, qua sua non  
 it, l. 28. ff. b. t. Nec enim qui vendit, necesse ha-  
 ei transferre, sed tantum, ut emtori eam ha-  
 i. ff. d. l. 30. §. 1. ff. de Act. emt. cum, ne propter in-  
 difficultatem probationis dominiorum, im-  
 tractus usibus quotidianis maximè necessa-  
 Parat. 12. de Contr. Emt. tum, quia sufficit, ven-  
 ctione teneri, l. 66. ff. b. t. Gothofr. ad l. 28. ff. eod.  
 n hoc ipso quicquam juris invito domino au-  
 reb. alien. non alienand. res quoq; emtoris pro-  
 one emi potest, l. 63. ff. b. t.

XXV.

e pretio agamus, quoniam Emctionis substare  
 n ex pretio l. 72. ff. b. t. ad pretii vero conditio-  
 C 2 ncm